



# ALNETANÆ QUÆSTIONES,

DE CONCORDIA

RATIONIS ET FIDEL

'ANTECESSIO,

I. *Exordium.* II. *Operis argumentum.* 1. *Imperium fidei sola detrectat Ratio.* 2. *Utri pareat, incertus est animus:* 3. *quem satius est parere Fidei, quam Rationi.* 4. *Id volunt Scriptores sacri.* 5. *Quod ut commode fiat, concilianda inter eas pax est.* 6. *Quid Ratio.* 7. *Quid Fides.* III. *Partitio totius Operis:*



**R**AMUS ante annos aliquot in Alnetano, autumnali-*Exordium.*  
bus feriis, ego & Hamelius, vir non reconditis so-  
lum totius Philosophiæ instructus doctrinis; sed,  
quod in hominibus nostris vix hac ætate reperias,  
ingenuarum etiam artium studiis liberaliter per-  
politus; mecumque popularitate, & veteri necessi-  
tudine, ac omnibus officiis conjunctissimus. Hoc  
vero otium, quod nobis & solitudo ruris, & annū  
tempus afferebant, suavissime conterebamus, vel privatim apud se quisque  
legendo & commentando; vel, cum inclinasset dies, in ambulando simul  
& colloquendo. Cum autem aliquando multa inter nos dicta essent & de  
amœnitate loci, & de rei rusticæ voluptatibus, quibus incredibiliter dele-  
ctabatur uterque nostrum, devenimus in mediam sylvam, qui locus maxi-  
me opacus est ex densitate arborum, & ex profluentibus aquis valde frigi-  
dus, ibique paulum fessi de via in musco confedimus. Tum ego, hoc silen-  
tium, inquam, hos secessus persequerentur prisci illi Sapientiæ magistri:

A

ores